


NUMMUS MEMORIÆ DICATVS,
CONFOEDERATORUM BELGII STATUUM:
cusus, rejectâ pace, quam ipsis Hispaniæ Regis sub-
diti quidam obtulerant. Anno
Christi 1595.



Status Belgici, qui Hispaniarum regi adhuc parebant, multis necessitatibus adducti, pacem à Statibus Holandicis petierunt: eoque tandem per literas & internuncios rem deduxerunt: ut Mittelburgi Conventus indiceretur. Legati Regij eo cum venissent, cum Principe Mauritio, & quos ille secum haberet, de pacis negotio agere cœperunt: exponentes initio, quantâ lætitiâ perfusi sint Ordines Provinciarum Regi parentium, cum adversæ partis optimam de pace conciliandâ voluntatem intellexissent: ideoque se comparuisse, ut nomine Regis, & Provinciarum ejus imperium adhuc agnoscentium, in colloquium venirent cum fœderatis, quibus conditionibus pax componi posset. Ad quæ Mauritius: Confœderatorum voluntatem ac mentem à pace, cum ipsis Provinciis ineundâ, non abhorre; non autem cum Rege Hispaniarum, quem omninò exclusum velint, propterea quod aliis Principibus sint confœderati. Quin etiam se non ignorare Regis animum adeò in confœderatos exacerbatum: ut iniuriæ sibi illatæ memoriam nunquam sit depositurus. Regij cum multis argumentis docuissent, iniquam esse Ordinum de Rege excludendo postulationem, excepit Mauritius, postremam hanc Confœderatorum definitionem esse: cum Rege pacem non faciendam. Quod hic conventus habeatur, id eo fine fieri, ut Provinciæ Belgicæ omnes simul conserventur, nec aut per Gallos, aut per alios separentur. Et si Ordines regis Imperio subditi, bonâ fide in pacis deliberationem venire cupiant, Confœderatos nunc etiam ad pacem propensos esse sibi que nil gratius fore, quam ut bellum in otium, tranquillitatem, & amicitiam convertatur. Legati Regij cum negarent, se alia mandata habere, quam ut de pace inter Regem suosque subditos & confœderatos tractaretur, soluto congresso ad suos quisque rediit. Ordines, quoties pacem denegarunt Hispano, toties ferè populo ut dispalesceret, voluerunt: commodissimè nummis percussis id fieri posse existimantes. *Cum itaq, rursus conclamatum esset pa-*
cis ne-